



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

4 De conditionibus necessariis ad Censuram.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

Secl. IV. Censura vt valeat, quas condit. in ferente req. 17

suspenfus sit, alter nullam inde accipiet iurisdictionem: quia per censuram erat principalis potestas in altero ita ligata, vt effectum suum consequi nō possit. Quibus autem modis illa potestas impediri possit, explicabimus section. sequent. in ipsamet potestate ferendi censuram, nam eadem est vtriusque ratio.

Et quoniam is, qui potestatem hanc habet tantū delegatam, eam habet quodammodo dependentem in conservari a delegante, quandiu per illam operari non cepit, ideo necesse est, vt principalis iurisdictione duret in concedente seu delegante: nam, si nondum causa inchoata ille moriatur, aut iurisdictionē amittat, in altero etiam iurisdictione cessabit, vt constat ex c. *Licet*, & c. *Gratum*, & c. *Relatum*, & c. vlt. de Offic. deleg. Quod est generaliter verum in hac iurisdictione fori contentiosi, nam in foro poenitentis aliud fortasse est, vt supra notavi. Intellego autē, necessarium esse, vt hac iurisdictione firmiter (vt ita dicam) adhæreat, & independentem a potestate concedentis, negotium esse inchoatum in eadem causa, vel in aliqua earum, quæ inter se connexionem habent. Nam, si hæc potestas generaliter concedatur ad plures causas inter se non connexas, & in vna earum inchoatus sit usus eius, & non in alijs, respectu illius prioris tantum firmatur iurisdictione, ita vt, mortuo concedente, in illa possit censuras ferre delegatus, & non in alijs, vt latius tractant Iurisperiti, præsertim Felinus in cap. *Pastoralis*. §. *Quorum*, de Rescript.

Excipiuntur autem ex singulari favore fidei, Inquisitores, vt patet ex c. *Ne aliquid*, de Hæretic. in 6. Quamvis eorum iurisdictione delegata vocetur in ea. Per hoc, eodem tit. ac sæpe alias. Illa autem singularis exceptio confirmat regulam in contrarium in cæteris causis. Tandem quis habeat potestatem concedendi hanc delegatam iurisdictionem, iam in superioribus tactum est: is enim, qui vt iudex ordinarius illam habet, per se loquendo, illam delegare potest: nam hoc ipsum munus delegandi est quidam usus & actus iurisdictionis ordinariæ, vt tradunt Iuristæ in l. *Mores*, Digest. de iurisdic. omn. iudic. & Abbas in cap. *Cum Bertoldus*, numer. 5. de Sentent. & re iudicata. Qui verò iudex ordinarius non est, talem iurisdictionem concedere non potest, nisi ex singulari aliqua ratione talis potestas ei concedatur, vt de Delegato Papæ idem auctores notant ex cap. *Pastoralis*, de Offic. Deleg.

Ultimo requirebamus voluntatem vtriusque, scilicet dantis, & recipientis hanc iurisdictionem: quod etiam est per se satis clarum, & ab omnibus assertum, quia hic est veluti quidam contractus humanus, qui sine mutuo consensu non perficitur: & ideo aiunt Iuristæ, mandatum in initio esse voluntarium postea verò quàm acceptatum est, esse necessarium: non quia reuocari aut dimitti non possit, sed quia sine iusta causa, aut sine consensu alterius id fieri non poterit: sed de hoc alias.

SECTIO IV.

Quæ conditiones necessarie sint, vt, qui potestatem habet ferendi censuram, valide illam ferat.

Sicut Philosophi naturales dicunt, vt causa efficiens suum producat effectum, præter virtutem agendi, requirere conditiones aliquas, sine quibus non efficitur: ita intelligendum est, proportionem seruata, in hac causa efficiente morali: & ideo postquam dictum est de potestate efficiendi censuras, consequens est, vt explicemus conditiones, quas huiusmodi causa ad illas efficiendas requirit. Quæ con-

Fr. Suarez. tom. 5.

ditiones duplices distingui possunt, quædam necessariae ad valorem actus, seu vt reuera censura inferatur, ac teneat: alia requisita solum, vt actio iusta ac recte fiat. Has posteriores, explicabimus sect. seq. nunc de prioribus dicendum est.

Prima igitur conditio necessaria est vt potestas hæc non sit ad agendum impedita ab eo, qui eius usum efficaciter impedire potest: nam hæc conditio in omni causa agente necessaria est. Hic autem multiplex impedimentum morale interuenire potest. Vnum est si ipsemet, qui censuram laturus est, affectus sit censura excommunicationis maioris, aut suspensionis: nam hæc censure impediunt usum omnis spiritualis iurisdictionis, vt latius infra dicemus agentes in particulari de effectu harum censurarum. Oportet autem huiusmodi impedimentum notorium esse, aut publicè denunciatum: nam, si censura sit occulta Ecclesiæ, etiam si sit nota ei, qui illa affectus est, peccabit quidem ipse, vtendo in eo statu sua iurisdictione, vt infra dicemus, non tamen erit inualidus actus. Quia, propter bonum Ecclesiæ regimen, ipsamet Ecclesia non vult tunc omnino impedire talem usum, actum irritando; quæ omnia latius sunt inferius tractanda.

Quin potius addendum hic est, etiam si contingeret aliquem in re ipsa falso titulo profiteri huiusmodi iurisdictionem, si hoc impedimentum sit occultum, & in foro, seu publica existimatione Ecclesiæ auctoritate superioris introductus sit in illum munus, & existimetur reuera habere talem iurisdictionem, illud impedimentum non inualidare actum, quia ipsamet Ecclesia supplet defectum illū; eò quod ita expedit ad bonum regimen. Quæ est communis doctrina in cap. *Nihil*, de Electione: & in l. *Barbarius*, ff. de officio Prætor. ex quibus iuribus colligitur, & ex cap. *Ad probandum*, de Sent. & re iudicata in illo verbo, *publicè inmodat*: Eamque supra tetigimus agentes de iurisdictione in foro interiori, est enim communis ad omnia iudicia: & ideo satis fuerit illam artigisse. Hinc verò colligi videretur limitandam esse doctrinam datam in superiori sectione, nam in eo casu sit actio valida, sine vera potestate agendi, cum sola existimatione. Sed dicendum est, quauis tunc actio fiat sine illa potestate simpliciter, quam quis existimatur habere, non tamen sine aliqua potestate, quam pro tunc & ad illum actum Pontifex concedit, ne publica iudicia Ecclesiæ dubia maneant, & incerta: nam actionem esse sine aliqua potestate agendi fieri non potest.

Aliud impedimentum simile præcedenti erit, si quis habeat hanc iurisdictionem ita dependentem ab alio, vt, cessante in superiori, cesset in alio ei subordinato; si ipse superior publicè excommunicatus sit, vel suspensus, tunc enim sicut ipse per se non potest censuras ferre, ita neque per alium. Ac propterea si delegans excommunicatus sit, impeditur vsus iurisdictionis etiam in delegato: & si sit excommunicatus Episcopus, impeditur vsus iurisdictionis in eius Vicario, vt constat ex cap. primo de Officio Vicarij, in sexta, vbi Glossa, & Doctores id notant: idemque erit in alijs similibus impedimentis; Vt, si iudex Ecclesiasticus recusetur, nam per recusationem impeditur, ne excommunicare possit recusantem, donec recusatio legitime examinetur. Item per legitimam appellationem interpositam antequam censuram ferat ex cap. *Quoties*. 2. questione sexta, vbi Glossa, & in cap. *Cum contingat*, de Officio Delegati, vbi Abbas. Item si superior prohibeat actum inferioris potestatis, etiam irritando ipsum actum; quod interdum facere potest absque censura: & alijs similibus, de quibus videri potest Vgolinus dicto capitulo secundo, §. vigesimo secundo & vigesimo tertio, posset autem aliquis non improbabiler dicere, in his casibus non solum impediri, sed etiam auferri

B 3

Excommunicatus aut suspensus non potest censuram ferre.

Impedimentum occultum non tollit hanc potestatem.

Secundum impedimentum.

Gl. 11.

Abbas.

Vgolinus.

aufferi iurisdictionem ad talem actum: quia hæc potestas tantum est moralis, quæ per voluntatem, seu concessionem, aut denegationem Superioris, datur, & aufertur. Sed hoc ad modum loquendi spectat.

Secunda conditio est, vt, qui hanc potestatem habet, non in se ipsum sed in alium eam exerceat, seu censuram ferat: itaque, sicut Philosophi dicunt, naturale agere non agens in se ipsum, ita de hoc morali agente existimandum est. Quæ est communis sententia Doctorum, cum Glossa in cap. Quoties, prima, questione septima. Ratio verò est, quia hæc potestas non operatur nisi in subditum, vt infra dicitur, idem autem non est sibi ipsi subditus, propriè loquendo. Vnde, si Episcopus ferat legem sub pœna excommunicationis, quamuis alia ratione teneri possit ad seruandam illam legem, si sit de re ad omnes æque pertinentes; tamen quoad censuram impositam, non potest se ipsum ligare: quia non est sibi superior, aut iudex. Quod bene docuit Abbas in ca. 1. de Raptoribus, num. 12. & in cap. Vniuersalis, de Senten. excommu. num. 13. Syluest. & alij Summistæ. verb. Excommunicatio. Veruntamen aduertere oportet, quamuis nemo in censuram à se latam incidere possit: occasione tamen censuræ à se latæ, posse in aliam censuram incurrere, quia iam non ipse in se fert censuram, sed ab alio, scilicet à iure latam incurrit. Vt si Episcopus communicet cum excommunicato ab ipso contrahet excommunicationem minorem, quam non ipse, sed ius tulit. Sicut etiam, si rem sacram faciat in Ecclesia se interdicta, irregularis fit: quod bene notauit Vgolin. dicto ca. 2. §. 8. plures Doctores referens.

Quoniam verò superius diximus, hanc potestatem excommunicandi esse posse in hominum congregatione addendum hic est, positam conditionem non obstat, quo minus tale collegium possit censuram ferre in aliquem eiusdem collegij: sed solum quod non possit in totum ipsum Collegium, respectu enim totius procedit ratio facta, quod Collegium non potest esse sibi ipsi subiectum tanquam Superiori habenti iurisdictionem in se: nam hæc omnia dicunt respectum ad alium. At verò respectu singularum personarum Collegij non procedit hæc ratio, quia totum potest respicere partem, vt sibi subiectam: est enim inter ea sufficiens distinctio ad hunc respectum. Vnde concilium, vel Capitulum ferre potest præcepta, quæ singulos ex congregatione obligent: eadem ergo ratione potest in singulos censuras ferre. Quod etiam consuetudo totius Ecclesiæ facit confirmat: & sumi etiam potest ex ca. Irrefragabili, de Officio Ordinarij: vbi Doctores idem aduertunt.

Tertia conditio est, vt non solum, qui hanc potestatem habet, non vtatur illa in propria persona, sed etiam neque in propria causa, vt expresse Gregorius tradit in cap. Inter querelas, 23. quæst. 4. Vbi Glossa optimam rationem affert, quia nemo permittitur esse iudex in propria causa, vt docet Fabianus Papa cap. 1. 4. quæst. 4. Et fundatur in eodem principio supra posito, quia nemo potest iudicare nisi sibi subiectum, vt rectè ostendit Diuus Thomas 2. 2. quæstione sexagesima septima, articulo primo, nemo autem est sibi ipsi subiectus, & idè in propria causa non potest ferre iudicium commune vtrique parti inter quas causa agitur. Accedit, quod etiam est contra ius naturæ, vt aliquis sit simul actor & iudex: esset enim magna inæqualitas, & alteri parti iniuria fieret.

Ex hac verò ratione intelligimus, hanc conditionem tunc esse necessariam, quando censura imponitur per modum iudicij, secus vero esse, si Episcopus, vel alia Ecclesiastica persona solum per modum defensionis censuram ferat in eum, qui ipsi violentiam infert. Id enim, & validum, & licitum esse tra-

dit Innocent. 4. in cap. Dilecto, de Senten. excomm. in sexto, ex illo principio naturali, quod vim vi repellere licet, ad quam defensionem potest vt armis sibi propriis, qualis est potestas Ecclesiastica in Ecclesiæ Principe. Quapropter ille tunc non gerit personam iudicis, sed defendentis se, vel Ecclesiam. Dices, Non videtur posse separari illa ratio iudicis ab vsu huius potestatis: nam dictum est hanc esse potestatem iurisdictionis: ipsam verò censuram esse quandam pœnam. Vnde sit, hanc iurisdictionem esse ad vindicandam, seu puniendam delicta: nullus autè hoc rectè facit circa alium, nisi exercendo in illum iudicium. Respondetur primo, licet pœna sit ad vindicandam culpam, non tamen semper primario ae per se infligi propter hunc finem: sed interdum ad præcauenda maiora mala, vel impediendum ali- quod nocuum, quod aliquis iure potest impedire: & hoc postremo modo imponi censuram, quando id fit in defensionem: & idè non oportere tunc exercere iudicium formaliter, ac propriè. Concedo tamen in eo actu ita se gerere latorem censuræ, tanquam sui defensores, vt etiam se gerat tanquam Superior & pastor, non tam iudicando, quam imperando sub tali censura: In quo præcepto virtuale includitur iudicium, quo transgressor talis præcepti censetur dignus tali pœna, quæ illi imponitur. Quod iudicium non repugnat fieri in propria causa, eò quod sit per modum defensionis. Addunt etiam Iurisperiti, non solum per modum defensionis, sed etiam proprium iudicium exercendo id fieri posse, quando causa est tam publica, & manifesta, vt nec negari possit, neque vlla examinatione indigeat, vt notat Abbas in cap. Cum venissent, numero decimo, de iudicijs: vbi plura de hac re tradit, numero sexto, 10. & 11. & in cap. primo de Officio Delegat. numero 6.

Quartò est maxime necessarium, vt is, qui potestatem hanc habet, libera voluntate illa vtatur, volens, & intendens inferre censuram. Ratio est, quia hæc est potestas moralis, cuius actus & vsus etiam debet esse moralis, & humanus: non est autem vsus moralis sine vsu libere voluntatis. Vnde in primis necessarius est actualis vsus rationis, sine quo non potest esse liber vsus voluntatis: & idè licet prædicta potestas manere possit, vt supra dicebam, in furioso, sicut in dormiente (manere, inquam, habitualiter, & quasi in actu primo) non tamen potest pro eo tempore exire in actum, seu ferre censuram: transacto autem illo tempore, si homo ad sanam mentem redeat, vt poterit sua potestate. Quæ omnia & communia sunt inter Doctores, & per se nota videntur.

Deinde necesse est vt accedat voluntas, & intentio ferendi censuram: nam voluntas & intentio operandi est, quæ dat efficaciam & valorem negotijs, & actionibus humanis, Capitulum Cum voluntate, de Sententia excommunicationis. Propter quod etiam in sacramentis conficiendis, quæ multo magis supernaturalia sunt, voluntas, & intentio ministri requiritur. Quapropter, quoties Prælati sub censura aliqua præcipiunt, non ea intentione, vt à transgressoribus præcepti contrahatur, sed solum ad inferendum metum, seu exaggerandam rem, quæ præcipitur, tunc reuera non incurritur censura: & hæc solet comminatoria appellari. In qua tamen obseruandum est, quando verba Superioris per se ferunt satis expressè impositionem censuræ, semper esse timendam, nisi vel ex materia ipsa, vel ex alijs sufficientibus coniecturis prudenter iudicetur, Superioris voluntatem non esse ferre censuram, sed tantum costringere: quia, his seculis effusantissimis, non potest magis de voluntate Superioris constare, quam de verbis eius expressis. Quamobrem admonendos existimo Ecclesiæ Prælatos, ne ipsi comminatorijs censuris vtantur: tum quia eo ipso quod

Nemo hanc potestatem in se ipsum exercere potest. Gl. 11a.

Abbas.

Syluest.

6

7
Iudex non potest in propria causa censuram ferre. Gregor. Glossa. Fabian. Papa. D. Thom.

8
Nisi per modum defensionis.

Innoc. 4.

Obiectiones occurrunt.

9
Censura potest liberam voluntatem debet inferri.

10
Censura potest inferri, si voluntas debet haberi intentio illi ferendi.

quod ex vera intentione non procedunt, fictionem quandam continere videtur: tum etiam quia fieri facile potest, vt ea occasione nonnulli simplices ex conscientia erronea grauius peccent: alij verò, qui perspicaciores sibi videntur, interdum veras censuras contemnant.

Atque ex his fit vterius, hanc voluntatem ferendi censuras debere esse liberam. Quod si intelligatur de libertate è necessitate absoluta, satis constat ex dictis, quia hæc saltem libertas ad humanam actionem necessaria est. Imò naturaliter loquendo, non potest esse talis voluntas, quæ ex vfu rationis procedat, quæ non sit hoc modo libera: solusq; Deus potest huiusmodi voluntati necessitatem inferre: quod miraculum nihil ad præsentem rem moralem pertinet: nam si Deus id faceret, potius ipse dicendus esset ferre talem censuram, quam homo; qui ad id volendum ex necessitate à Deo moueretur. Quin potius addo, non solum necessariam esse talem voluntatem esse hoc modo liberam, sed etiam sufficienter, & humano modo deliberatam: ea saltem deliberatione & libertate, quæ ad peccandum moraliter sufficeret: quia alias non est actio simpliciter humana, & rationalis, qualis in re tam graui merito requiritur. Et ideo, si repentino motu, & absque vlla deliberatione censura feratur, non est quod valida existimetur.

SECTIO. V.

An censura per metum illata valida sit.

Libertas interdum opponitur necessitati simpliciter, seu determinationi ad vnum, de qua iam dictum est: aliquando verò coactioni, quæ grauem metum inferat, & de hac est controuersia, an tanta libertas, quæ hanc vim, seu coactionem excludat, ad valorem censuræ requiratur: quæ sub generali quæstione comprehenditur, an facta per metum valorem habeant: quæ in vniuersali tractari solet. 2. quæst. 6. in particulari verò in variis locis, præsertim de voto, & de matrimonio: vbi à nobis etiam, Deo dante, tractabitur.

In præsentem ergo quidam existimant tantam libertatem non esse necessariam, sed censuram latam ex metu etiam cadente in constantem virum validam esse. Ita asseruit Glossa in capitulo vnico, De iis, quæ vi, metu vel causa sunt, in 6. verb. *Vacuamus*, & Glossa in capitulo *In iustum*, verb. *Non valet*, & Glossa in capitulo *Quatuor*, verb. *Timore*, 10. quæstion. 3. Abbas in capitulo 2. De iis, quæ vi. num. 11. cum alijs, quos refert Vgolin. dic. capitulo 2. §. 4. Non affert autem aliud eorum fundamentum, nisi hoc generale, quod voluntas coacta, voluntas est. Et ideo facta per metum valida sunt, nisi iure impediatur. Vt egregie probatur in l. *Si mulier*, §. *Si metu*, 2. ff. de Eo, quod metus causa. Hoc autem non est iure impeditum: quia, licet in illo capitulo vnico stabilitum sit, vt absolutio à censura metu extorta, nullius valoris sit; tamen id non decernitur de ipsa censura ex simili metu lata. Neque argumentum à simili in ijs, quæ à iure positio pendunt, est efficax; præsertim, quia sunt multæ, quæ Pontificem mouere potuerunt ad irritandam absolutionem metu extortam, & non censuram: maxime quod, moraliter loquendo, nunquam censura extorquetur per vim: absolutio autem sæpe.

Nihilominus alij contrariam defendunt sententiam: & fundantur in dicto cap. vnico. Putant enim potestatem ligandi semper coniunctam esse cum potestate absolueudi, capitulo *Verbum*, de Penit. d. 1. vbi dicitur, *Dominus pars ius, & soluendi, & ligandi esse*

A voluit, nam vtrumque par conditione commisit: ergo, quod soluendi ius non habet, nec ligandi habet. Vnde colligunt hos actus censeri in iure æquales: & ideo, quod de vno statutum est, ad alterum iure extendi. Imò à fortiori sumitur argumentum: nam iura in fauoribus amplianda sunt; & in rebus odiosis restringenda. Si ergo absolutio, quæ fauorabilis est, iure irrita censetur ratione metus, & violentiæ, multo magis idem censendum erit de ipsa censura, quæ odiosa est. Veruntamen, neque hoc argumentum est admodum vrgens, si in solo iure positio sita-

Et ideo tam de absolutione, quam de censura, prius videre oportet quid sit dicendum, persistendo in solo iure naturæ. Et mihi quidem videtur, talem actum non esse irritum ipso iure naturæ. Ad quod ostendendum primum expendo in illo capitulo vnico verbum illud *Evacuamus*, quo Pontifex significat, se irritare factum illud, non verò illud ex se fuisse irritum. Deinde accedit illa ratio, quod voluntarium ex metu, est voluntarium simpliciter, teste Philosopho tertio Ethicor. & Diuo Thoma, 1. 2. quæstio. 6. Et ideo nisi ob aliquam singularem rationem, & causam, non sufficit ad irritandum omnem contractum, vel negotium ex metu factum, vt constat de voto facto ex metu mortis, naturaliter, aut sine iniuria illato. Hic autem non interuenit singularis aliqua ratio, ob quam talis metus natura sua irritet censuram, si alioqui censura ipsa non sit ita iniusta, vt ea ratione nulla sit: tunc enim non erit irrita ob metum, sed ex alio capite. Sicut, si iudex in alio negotio cogatur per grauem metum ad sententiam ferendam, si alioqui sententia ipsa iusta sit, non propterea erit irrita: idem ergo erit in censura. In quo etiam potest specialis ratio considerari, nam censura non potest esse valida sine intentione ferentis, vt supra dictum est: per metum autem non potest aliquis cogi ad habendam intentionem, sed ad summum ad exterius proferendam censuram: ergo, si iudex, non obstante metu, non habeat intentionem inferendi censuram, tunc quidem erit censura irrita, non ob metum, sed ob defectum intentionis; si verò habeat veram intentionem, illa non fuit propriè extorta per metum: ergo non potest metus obstare, quominus habeat effectum.

Dices, quauis metus non possit directe extorquere actum interiorem, indirecte tamen, & ex consequenti cogit ad illum, quando actus exterior non potest honeste fieri sine interiori. Ita verò est in præsentem, quia homo studiosus nihil vult fictè operari: proferre autem exterius sententiam sine intentione, est fictio quedam. Sed contra, quia non omnis fictio est contra honestatem morum, sed illa tantum, quæ mendacium includit: potest autem exterius proferri sententia excommunicationis sine intentione ligandi, & absque mendacio: sicut fit in sententijs comminatorijs: quia iudex non affirmat se velle vt alter ligatus maneat, sed per modum imperij id proferit: non est autem necesse, vt, qui imperat, velit vt imperij habeat effectum. Nam & Deus sæpe imperat, quod non vult absolute fieri. Dices, quid si per metum cogatur iudex affirmare, vel etiam iurare se habere intentionem ligandi per talem censuram. Respondeo, si tanta malitia, & reflexione id fiat, vt non possit nisi aut mentiri, aut habere intentionem, tunc potius gaudi debet habere intentionem, si iusta esse possit, quam mentiri (nam si iusta esse non possit, neutrum debet facere propter illum metum) tunc autem intentio illa verò dicetur extorta per metum: quia respectu hominis recta ratione videntis perinde est non posse vitare actum sine culpa, ac simpliciter non posse vitare. Nihilominus tamen propter

Censura autem absolutio metu extorta non iure irrita iure naturæ.

Aristot. D. Thom.

Obiectio.

Solutio.

Quid si iudex reflexa cogatur affirmare se habere intentionem ligandi.